



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Benedictus Redivivus Hoc est: Benedictinij Ordinis
Vetustißimi Amplißimique, Nostra, ac supera ætate
Jmmarcescibilis Vigor, ac Viror**

Bucelin, Gabriel

[Veldkirch], Anno Christi. M.DC.LXXIX.

Iesu Christi Annus. M.D.LXVII. Sancti Patris Benedicti. M.LXXXVII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38498

IESU CHRISTI ANNUS. M.D.LXVII.

Sancti Patris Benedicti. M.LXXXVII.

Quinquaginta Martires.

Illustrant hunc annum nobili Martirio quinquaginta sacrae Cisterciensis familiae nostrae Martyres, Monachi celeberrimi in Burgundia Canobij, dicti Firmitatis, qui verè firmi, stantes in fide, suumque pro Christo sanguinem fundere parati, cum Abbas eorumdem Renuus de Monte Curvo ipsidem optionem sese in tutiora loca recipiendi dedisset, & ipse cum nonnullis, furorem Calvinistarum compertum habens, sese subduxisset, locum suae professionis deserere, nullo modo voluerunt, expectaturi, quid de se statueret Dominus. Capto proinde Monasterio ab Haereticis variè torti, & excruciat, in odium Fidei Catholicae & Monasticae professionis, crudeliter interempti, gratissimae Coelo victimae ceciderunt, simulque ad praemia Martyrum & triumphos aeternos evolarunt 7. Iduum Julij. *Martyrque Henric. &c.*

Mortuus post ingenia merita Gervicus Abbas Weingart.

Quantum superiore anno Inferior Germania sydus egregia Vitae sanctitate & sacris de Christiano Orbe meritis, tantum hoc anno Germania superior columen, haud inferioribus de sacro Imperio & Romanis Imperatoribus meritum laboribus amittit Gervicum Blaarerum de Girsperg Güttingen & Wartensee Weingartensem sive Vinearum, & Ochsenhufij Abbatem, cum Imperialibus utriusque Monasterij, illi annos septem supra quadraginta, huic viginti praestitisset, defunctusque esset 30. Augusti, ultima voluntate id unice rogant, ut praeter consueta Romanae Ecclesiae mortuis impensa obsequia, Psalmus, quem in vita maximi fecerat, Psaltis Regij trigelimus: *In Te Domine speravi, non confundar in aeternum, &c.* Ad tumultum suum & funus, quotidie toto tricesimo tempore decantaretur. Fuit laboriosissimi ingenij Praesul, simulque festivissimi, ita, ut qui seipos juratissimos sacrorum hostes è summis Germania Principibus ultro & publicè farentur, contra hunc, etiam per omnia ipsis in Religionis causa obnitentem, semper exciperent, & succensere non posse testarentur. Adeo festivo animi conceptibus, cunctos delinire noverat, etiam cum vel maximè adver-

farentur. Reliquit ingenij maximi maxima monumenta, tomos duodecim super Juribus Canonico & Civili suomet conceptu animi, quos tamen sive Ministri ejusdem Aulici, sive rei litterariae minus aequi, & ignari, necdum compactos, hac illaque distrahentes, usibus minimè convenientibus applicarunt, quod usque hodie nunquam satis dedolent, qui viri ingenium ex maximi monumenti dexterimè confectis negotijs penitus cognoverunt. Fuit Caesaribus, Electoribus, summis infimisque gratissimus & gratiosissimus, ipsis quoque Haereticis Principibus verendus juxta & venerandus, cujus laudes nec maximis quidem voluminibus possent sufficienter explicari; etsi non nemo peculiari libello dicta solummodo ejusdem acuratiore sive apophthegmata complexus sit, quo in genere valuisse ad miraculum intelleximus, & quaedam etiam cum admiratione audivimus, etsi libellum, statim à morte ejusdem vulgatum & certatim coemptum, nullo apud nos superante exemplari, non viderimus. Quiescit in Monasterio suo Weingartensi in Sacello Beatissimae Matris Virginis, quam unice dilexerat, ejusque honorem contra Haereticos generose propugnaverat. *Ex monim. Weing.*

Ejus Sepulchrum.

Quae nostrorum perpetua de lectissima Societate Jesu merita: hoc anno agente & satagente Gerardo nostro Americurio, primo Audemarensium, ex Abbate Sancti Bertini, Episcopo, Reverendi Patres ejusdem Societatis, non tam admissi quam acciti, ædibus primùm in vico Velbruglio ejusdem Episcopi benevolentia apparatis, pulcherrimum paulo post Collegium, ut vocant, merentur Audomaropoli. Quos ipse ut Angelos Domini excepit, coluit semper, & quibuscunque potuit modis fovit & promovit. *Ferreol. Locrius Claud. Rob. &c.*

De Societ. P.P. meritis Gerardus noster Americurivus.

IESU CHRISTI ANNUS. M.D.LXVIII.

Sancti Patris Benedicti. M.LXXXVIII.

Iterum insigni numero gloriosissimorum Christi Martyrum Triumphantem auget ornatque Ecclesiam hoc anno Ordo noster, Bonessiensis in Comitatu Namurcensi Canobij Religiosis omnibus, pulcherrimam oblatione sese victimas Numini consecranti-

Martyrum nostrorum Triumphus.

bus.